

**De partu gemellorum : dissertatio anatomico-chirurgica, quam, Deo
juvante, & praeside M. Petro Sue, secundo ... / tueri conabitur Jacobus
Guilbert.**

Contributors

Guilbert, Jacques.
Sue, P. 1739-1816.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1787.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/j6nqrjah>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE PARTU
GEMELLORUM;
DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA,

QUAM, Deo juvante, & Preside M. PETRO SUE, secundo,
antiquo Collegii Præposito & nunc Quæstore, antiquo Scholarum
Præcticarum Anatomiae & Chirurgiae Professore, Regiae Academiae
Chirurgiae Consiliario & pro extractis Secretario, in generali Pa-
risiensi Praefecturâ Chirurgo ordinario, nec-non Societatum Acade-
micarum Monspelliensis, Rothomagensis, Divionensis, Lugdunen-
sis, Burdigalensis & Aurelianensis Socio; tueri conabitur
JACOBUS GUILBERT, Baiocensis, antiquus Nosocomii Cha-
ritatis dicti Alumnus, & in alma Universitate Parisiensi Ar-
tium Liberalium Magister.

Die 3 mensis Novembris, anno 1787, à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam.

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS:
PRO ACTU PUBLICO,
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae
Collegii, nec-non Academiae Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXXVII.

DEPT. OF THE ARMY

OFFICE OF THE CHIEF OF ENGINEERS

WASHINGTON, D. C.

ANNUAL REPORT

FOR THE YEAR 1900

BY THE CHIEF OF ENGINEERS

AND THE BOARD OF ENGINEERS

OF THE ARMY

AND THE BOARD OF ENGINEERS

OF THE ARMY

AND THE BOARD OF ENGINEERS

OF THE ARMY

AND THE BOARD OF ENGINEERS

OF THE ARMY


AND THE BOARD OF ENGINEERS

OF THE ARMY

AND THE BOARD OF ENGINEERS

OF THE ARMY

AND THE BOARD OF ENGINEERS



D. O. M.

DE PARTU
GEMELLORUM;
DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA.

MEMORABILE est quod *Medea* apud Euripidem ait: *ter ad clypeum stare malim, quàm semel parere* (1); & fanè, quanta sit atro-

(1)

ας τρίς ἂν παρ' ἐσπίδα

Στῆναι θελοίμ' ἂν μάλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαζ.

Euripid. Med. v. 250 251.

A ij

citas dolorum partûs, neque sacra subicere possunt litteræ, quæ fummas rerum angustias cum parturientium laboribus conferre solent. Sed non sat erat istud malorum, nisi etiam difficultates plurimæ præter naturam, ut sæpè sæpius fit in gemellorum partu, accederent. Talibus igitur, quibus ingeniis obviam ire, quantumque ad consolandos misellarum angores in arte obstetriciâ præsidii sit, breviter nunc dispicere operæ pretium est. De partu verò dicturi, necessarium est, ut muliebres partes, quatenus tractationem hanc tangant, paucis anatomicis depingamus.

EX ANATOMIA.

Partes genitales mulierum, si anatomicè considerentur, in externas atque internas disponuntur. In arte autem obstetriciâ eæ in pudenda, vaginam, uterum, partesque ab eo dependentes potius dividuntur; idque non sine ratione, cum hæc distinctio praxi magis sit consona.

Sub pudendis comprehenduntur regio ossis pubis, cum *monte* sic dicto *Veneris*, labia duo rimam magnam constituentia, inter quæ, versùs superiora clythoris, nymphæ & urethræ orificium, versùs inferiora verò fossa navicularis, frænulum ac perineum, adnotantur.

Secunda pars, vagina scilicet, est canalis membranaceus, teres, valdè expansus, asperus, insignibus plicis ac rugis exaratus, qui uteri osculum amplexus, indè deorsùm & anteriùs tendit, & aperitur in parte inferiori pudendorum, sub urethrâ; membranâ, *hymene* dictâ, dividitur in duas partes, vel si hæc dilacerata est, carunculis myrtiformibus & rugis.

Ad vaginam solâ semper cervice suâ nexus uterus, vesicæ urinariæ & intestino recto adhæret: in pelvi quasi pendulus est; annectitur ope ligamentorum, quæ à dimensione nomen obti-

nuerunt, *latorum & teretium*, sive *rotundorum*, à peritonæo productorum. Quæ quidem ligamenta dilatationis atque relaxationis admodum capacia sunt, adeò ut uterus non solum quoad partem vaginæ, sed extrà pudenda quoque procidere possit.

Uterus cavum est viscus, pyri depressi magnitudine & formâ donatum. Pars ejus amplior retrorsum conspicua *fundus*, strictior verò & anterior *cervix* nuncupatur. Triangulum æmulatur uteri cavitas, ferè semper unica (1): cervix in orificium oblongum transversumque definit & in vaginâ eum circumcingente insignem prominentiam, *os tinæ* dictam, efformat. Alia superiora, minora, lateraliter in fundo uteri patentia, tubis hiant fallopianis foramina.

Duabus constat uterus membranis, alterâ communi à peritonæo subministratâ, alterâ propriâ, & textu prætereà spongioso, multis pervio cellulis, non solum vasis nonnullisque carneis fibris implexis, sed etiam extrinsecus coopertis, quæ, quia in fundo uteri præcipuè validiores sunt, *Ruischyus* (2) & post illum plures Anatomistæ (3), pro peculiari ejusdem visceris musculo ibidem habuerunt & descripserunt.

Totum uteri orificium, licet ex uno saltem canali constet, persæpè tamen hic canalis, versùs vaginam respiciens, ità aperitur,

(1) Duo exempla uteri divisi, cujus cavitas septo medio dividebatur, recenset *Riolanus* Anthropograph. cap. 31.

(2) Tract. de musculo in fundo uteri reperto, cum doctrinâ de secundarum extractione.

(3) Anno 1753, clar. M. *Suë*, Anatomix in scholis Professor Regius, coram Academ. Reg. Scient. dissertationem legit in quâ, differentiis uteri diversis in ætatibus statutis, in ejusdem variis regionibus demonstravit reperiri plures musculos fibrasque carnosas peculiare.

ut digiti quidem apex huic immitti, ast non, ob reliqui canalis clausulam, in ipsam uteri cavitatem introduci possit. Sæpius verò etiam totus orificii canalis ità apertus est, præsertim sub fine graviditatis, ut digitus per illum in ipsam uteri cavitatem penetrare possit. Hinc omninò in priori casu orificium uteri saltem externum dilatatum, in posteriori verò & externum & internum uteri orificium simul apertum esse in aprico est (1).

Sanguiferis, lymphaticis, nerveisque vasis alluitur matrix; ex aortâ, ex hypogastricis, hemorrhoidalibusque prodeunt arteriæ, plexus anastomosesque inter se mirum in modum conicientes; venæ eadem ac arteriæ adipiscuntur nomina: lymphaticorum huc usquè minimè noscuntur vasorum progressus & origo; sacri intercostalesque nervi hypogastricum efformantes plexum, per plures impertiuntur utero ramulos, intrâ visceris substantiam ità intricatos, ut maximâ irritabilitate, quæ contractionis aculeus est, potiatur matrix.

De tubis fallopianis, ovariis, chorio & amnio, membranis fœtum involventibus, de placentâ aliisque ad partium muliebrium Anatomiam pertinentibus, hinc differere spontè omitimus. Interroganti cuique responsio pro viribus dabitur.

Cæterùm notandum est partes genitales, in muliere sicut & in viro, multis glandulis sebaceis esse præditas, quas vocat *Heisterus* corpora globosa, mukum illum secernentia, quo uteri orificium semper, sed præcipuè partûs tempore, irroratur (2).

Quemadmodùm uniûs fœtûs sic & duorum seu gemellorum accidit conceptio, exceptis quibusdam rerum differentiis, relativè ad fœtum volumen, ad placentam, &c. Una saltem, uti ordina-

(1) Vid. Deventer., L. C. cap. 13. p. m. 32.

(2) Vid. compend. Anat. §. 236, p. m. 104.

riò videre est, par gemellis efficitur placenta; nonnunquàm tamen quilibet gemellorum suum proprium placentæ orbem habet, hoc verò cum discrimine, quod binæ tunc placentæ non exactè rotundæ, sed una præ alterâ figurâ magis ovali sese sistat. Dùm autem quivis gemellorum peculiaribus gaudet cuticulis & membranis, placentæ nexis, linea in medio adnotatur, quâ hæ duo placentæ, licèt junctæ, facilè discerni possunt.

Ex his concludi debet, quemvis gemellum peculiarem habere funiculum umbilicalem, quemvis suis propriis cuticulis & aquis circumdatum esse atque inclusum.

E C H I R U R G I A.

Mense graviditatis nono abeunte, aut ineunte decimo, ad contractionem irritabilitate sibi propriâ stimulatus uterus, summis viribus agit in fœtum; undique comprimitur ipse, uteri expanditur orificium, membranis ruptis effluxisque aquis lubricatur meatus, & matricis energiâ, faventibus musculis, adauctâ, foràs, nullâ adhibitâ arte, projicitur infans. Naturalis felixque tunc dicitur partus, qui idem esse potest, sive unicus sit infans, sive duo sint. Sed proh dolor! Quàm sæpissimè delusa obstaculisque impar, ad scopum desideratum attingere nequit Natura!

Specialia debemus primò assignare signa quæ gemellorum gestationem manifestant, licèt obscura & minimè certa: hæc præ aliis referri merentur.

1°. Gravidæ venter admodùm extensus, circà hypocondria insolitè expansus, circà umbilicum verò magis planus est.

2°. Linea ab umbilico usquè ad pubem ventri impressa, & in casu plurium fœtuum magis distincta, ventrem in duas quasi partes dividit.

3^o. Sensatio motûs ab interioribus itidem ad exteriora vergens, fœtum sese notabiliter moventem exhibens, in uno eodemque momento, pluribus in locis, ac quovis præcipuè latere eâdem vi à muliere gravidâ percipitur.

4^o. Pedes, femora, immò & genitalia tumore œdematoso plerùmque turgent.

Signa hæc simul sumpta, si adsunt, quanquam præsentiam gemellorum indicent, ab eorum tamen absentiâ ad gemellorum absentiâ non concludendum; undè optimo jure asserit *Vanhorn* (1) neminem gestationem gemellorum certò asserere posse, usquè dùm eorum unus in lucem editus fuerit. « Sci-
» licèt tunc demùm, inquit, ex ventris mole insigni, ulteriùs
» subsistente, ac corpore quodam magno, duro, intùs con-
» tento, præcipuè verò ex aquis ad partum aliis sese sistentibus,
» ut ex fœtu inibi natante, certissimum alteriùs quoque infantis
» præsentix desumitur signum. »

Cujuslibet gemellorum situs in utero, durante graviditate, idem est ac ille qui notatur, quandò unicus adest infans, ità quidem ut alter alteri sæpè sæpiùs incumbat, sed ambo lateraliter nonnunquàm appositi sint. Quilibet hinc quoque, versùs graviditatis finem, capite reliquis sui corporis partibus graviore, inferiora imò & orificium uteri pederentim perit. Verùm, cùm superior ossium pelvis apertura non ità expansa sit, ut binis capitibus introitum simul concedere possit, hinc uniùs caput superiùs, alteriùs autem inferiùs positum est, & hoc modo sibi invicem impedimento sunt, quòminùs perpendiculariter sese sistere possint, sed potiùs obliquè positi, præternaturali partui, qui gemellis

(1) Vid. *Vanhorn. obs. III. lib. de obstetr.*

ferè semper proprius est, occasionem præbeant (1).

Partus gemellorum easdem ferè admittit divisiones ac partus naturalis, sive ille quo infans citò, tutò, & absque alio aut saltem perpauco quàm Naturæ adjumento, in lucem prodit. Nimirum vel est, 1°. partus planè naturalis, quandò scilicet utrique gemellorum, capite prævio ac in rectâ lineâ siti, unus post alterum, nascuntur; vel 2°. ex naturali & præternaturali componitur partus, quandò nempè gemellorum vel primus vel secundus naturali modo expellitur, alter verò, sive primus, sive secundus sit, pedibus aut alio sui corporis membro præternaturaliter sese sistit: vel 3°. planè præternaturalis est partus, dùm & primus & secundus infans talem vitiatum habent situm, quem Naturæ vires atque nixus minimè corrigere, sed sola obstetricis manus meliorem reddere, ac ad educationem per pedes aptum efficere possit.

Hæc sunt, juxtà celeb. Artis obstetriciæ Magist. *Deleurye* (2), sequentia signa specialia, quæ, licèt dubia, gemellorum partum prænuntiant. Difficulter admodum dilatatur uteri orificium; motus à matre perſentiti vividissimi & cum maximo dolore sunt: saccus aquas continens semper planus est; extracti primi infantis exiguitas, debilitas, rarum fluidum effusum, applicatio manûs super mulieris hypogastricam regionem sat superque docent alteriûs infantis præſentiam, præſertim quandò his adduntur signis ea quæ superiûs, pro gemellorum gestatione determinandâ, assignata fuerunt.

Prognosis partûs gemellorum, pro variâ ejus specie, differt. Si planè naturalis est, soliûs Naturæ viribus legitimisque do-

(1) Vid. *Levret*, essai sur l'abus des règles générales, &c. in-8°. pag. 99.

(2) Vid. *Deleurye*, traité des accouchemens, §, 771 & suiv.

loribus ità feliciter absolvitur, ut infantes fani vegetique in lucem prodeant, ac mater puerperium, nullis accidentibus periculosis vexatum, sustineat. Si verò ex naturali & præternaturali compositus est partus, tunc manum obstetricis requirit: immò & infans & puerpera persæpè gravia, sed rarò lethalia, symptomata experiuntur. Planè autem præternaturalis geminorum partus, cùm duplex sit, duplo quoque prognosim reddit graviolem.

Cæterùm & id quoad prognosim partûs gemellorum notari meretur, quod veteres atque etiam recentiores quidam obstetricantes, præcipuè verò obstetrices, Matronæ, eam in vulgus sparserint opinionem, quod gemelli rarò vitales atque vegeti in lucem edantur: imò quod unus ex illis, imprimis verò ultimè natus, vitam suam non multos ad dies, multò minùs ad plures annos trahat. Verùm enim verò, licèt opinio hæc observationum testimoniis suffulta videatur, ejus tamen certitudo quærenda est tàm in minori fanitate, quàm unus geminorum præ altero fruitur, sicque debiliore corporis robore præditus est, tàm quoque in erroribus quos obstetrices in eorum partûs directione commiserunt, & hodie adhuc committunt, uti hoc ex verâ methodo ejusmodi partum adjuvandi, quæ nunc tradenda, clariùs patebit.

In primo casu, id est, in partu omninò naturali, si uterque infans naturalem quoque habeat situm in utero, si unus capite prævio atque rectâ lineâ ad orificium descendat, parturiens in lecto (1), vel in sellâ obstetricali (2), doloribus partûs tactu.

(1) De lecti compositione pro partu facilitando. Vid. *Dionis*, *Traité des Accouchemens*, lib. 3. cap. 3. & *Vanhoorn*, part. 1. cap. 11.

(2) De sellâ obstetricali, vid. *Deventer observ. sur les accouchemens*, cap. 26. p. 108. pl. 11.

recognitis, infideat; aere retento abdomen omnibus viribus deprimat, ac si alvum per aliquot dies constipatum deponere vellet. Obstetricans interea butyri portionem orificii aperturæ nonnunquam immittat, quò eam majori extensioni aptiorem reddat. Ne verò forti parturientis depressione procidentia ejus ani accidat, sphincterem linteo duplo quovis præfente dolore reprimere, quantum possibile, bonum est. Hæc tandiù continuentur, usquè dùm partûs ad finem properantis signa dentur, id est, usque dùm dolores frequentia & vi magis magisque aucti orificii uterini totam dilatationem procrearint; usquè dùm membranæ, aquis turgidæ & expansæ, totum vaginæ cavum adimpleant; usquè dùm tandem caput uniûs infantis inferiori pelvis aperturæ insistent, membranis ruptis, aquis effluxis, in vaginæ introitu jam existat.

Tunc, nullo licèt urgente dolore, tamen ne infans in terram inopinato lapsu ruat, semper una vel altera obstetricantis manus propinqua sit capiti, ut quandò hoc, adauctâ dolorum vi, in lucem prodire incipit, utrisque manibus lateraliter apprehensum, uno tractu ad scapulas usquè, postea & totum ejus reliquum corpus extrahatur. Ne verò subsequens statim sanguinis & residuarum aquarum invicem permixta copia ori infantis influat, hic, lateraliter facie suâ versùs obstetricantem collocatâ, gremio hujus imponatur; funiculus deindè umbilicalis bis ligetur (1), & inter hancce duplicem ligaturam decidatur.

Hæc omnia & ipsæ obstetrices ritè quidem absolvunt. Sed ut rectè observat. *Joh. Guillaume Hesse* (2), earum nonnullæ,

(1) Duplicem hanc ligaturam inutilem prorsùs pronunciant quidam auctores, ligaturam à parte infantis sufficientem judicantes.

(2) *Dissert. Medica inaug. partum gemellorum exhibens. in-4^o. 1749. Argent.*

ratione temporis, quo placenta primi gemellorum educenda venit, peccant, dùm fœtu hocce in lucem edito, mediante funiculo umbilicali, statim ejus placentam educunt, non perpendentes quod quilibet gemellorum propriam placentam, nunc ab alterâ distinctam, nunc cum eâ conjunctam possideat (1), nec non quod placenta ab utero separata extractionem copiosus lochiorum fluxus pressio pede insequatur, imò quod post placenta educationem, remanente adhuc in utero fœtu, sanguinis circulus à matre in fœtum & vice versâ momento citiùs cesset, fœtus indè vitâ privetur, & hæmorrhagia subsequens ac sibi relicta, parturienti absolutè lethalis, tamdiù sisti nequeat, quamdiù uterus, ob fœtum inibi contentum, à contractione, ceu hujus hæmorrhagiæ unico remedio, impeditur. Indè per se patet quod in partu gemellorum placenta primò nati nullatenus movenda sit, antequàm alter eorum in lucem prodierit.

Alia est obstetricum in hoc casu consuetudo vitiosa, quæ censuram meretur. Quando placentam primi geminorum non educunt, ejus funiculum umbilicalem parturientis femori alligant, ne, inquiunt, spontè in uterum sese retrahat. Talis alligatio in educatione secundi geminorum manui obstetricantis non leve sæpè objicit impedimentum. Meliùs ergò agunt illi qui funiculum probè alligatum, liberè quasi fluctuantem, sibimet relinquunt, quò in alterius infantis extractione, nunc hùc, nunc illuc, moveri possit.

Quod verò ad partum alteriùs infantis attinet, maximus adhuc ab obstetricibus committitur error, quæ hujus partûs negotium, absolute & nullâ adhibitâ distinctione, solis Naturæ

(1) De hoc errore vid. Mem. de l'Académie Royale des Sciences, années 1727, hist. pag. 15.

nifibus absolvendum relinquunt (1). Recentiores quidem obstetricantes, experienciâ suffulti, optimè asserunt hanc methodum eo in casu locum obtinere posse, in quo geminorum secundus, capite prævio & perpendiculariter sese sistens, à doloribus, sine temporis morâ & de novo tam validis quàm repetitis, citòque sese subsequenter, præcipiti quasi nisu per pelvim & genitalia expellitur. Quando autem gemellorum alter, capite quidem prævio, sed à lineâ rectâ, uti plerùmque contingit, paulisper devio sese ostendit, insuperque dolores aut penitus cessant, aut admodum debiles & tardi sunt, tunc in cunctatione spes omnis ponenda, licet nonnulli in hoc casu infantis extractionem per sic dictam *versionem* Naturæ nisibus, seriùs nonnunquam accidentibus, præferendam esse statuunt. Hùc accedit quod illo temporis spatio, quod inter partum primi infantis & dolores ad secundum partum necessarios intercedit, uteri orificium introitusque vaginæ ità sese constringant, ut dolores eâdem vi agere, & hasce partes denuò aperire, hinc parturientem novis quoque cruciatibus vexare debeant (2).

Versio infantis consistit in ejusdem per pedes ex utero extractione. Hæc verò extractio, quandòque necessaria in quovis gemellorum partu, sic perficitur. Manus ductu placido vaginæ & utero per hujus orificium immittenda; membranæ fœtum ambientes, spontè nondum si non ruptæ fuerunt, unguibus pertundendæ, & in aperturam illicò manus intromitti debet, ut totalis aquarum insequens effluxus, quantum fieri potest, impediatur. Si verò aquæ jam effluxæ sunt, ac aliud membrum quàm caput sese sistit, tunc manus ab illo membro ad pedes

(1) Vid. J. Burton, système nouveau & complet de l'Art des Accouchemens, tom. 1. p. 213.

(2) Vid. Levret. oper. jam citat. art. 9. pag. 140 & suiv.

usquè ducenda venit, & à corpore infantis nunquàm removenda, multò minùs suprà membranarum residuum ponenda, ne hujus fortis attractio placentam præmaturè ab utero averrat, ac hæmorrhagiam producat; aut ubi gemelli adsunt, ne pedes secundi infantis loco primi amplectantur, ac versio indè & educio primi infantis impossibilis reddatur, vel pedes secundi infantis vi abrumphantur.

Invento pedum uno, tentandum an uniùs hujusce pedis attractione, totum infantis corpus verti & hic pes per uteri orificium ad vaginam usquè educi possit. Si resistantia notabilis hoc impedit, alter quoque pes quærendus ac priori approximandus est, & tunc versio facilior & educio felicior contingunt.

Fœtu ad nates usque educto, observandum an non funiculus medius inter illas per dorsum vel placentam vergat, utpotè quo in casu ille indè removendus est, ne in ulteriore educatione vel nimis tensus rumpatur, vel tensioni resistens placentam avellat & hæmorrhagiam enormem inducat. Si dorso suo incumbit infans, in abdomen versandus est, antequàm educatur, ne, quando caput extrahendum venit, hoc cum suo mento ossibus pubis affixum hæreat. Tunc fœtus, utrisque manibus circà coxas prehensi, abdomen, pectus, brachia cum capite, uno ductu primò versùs inferiora, mox hâc illâc titubando extrahuntur. Quandò verò resistantia capitis nimia hoc impedit, tunc necessitas, suprema lex, brachiorum uniùs post alterum educationem imperat, suadetque ut digitis uniùs manûs ori infanti immissis, alteriùs verò collo circumdatis, caput eodem modo educatur. Imò, si & hâc ratione caput eliminari nequit, eodem quidem modo manus applicandæ; sed tunc non in collum trahendum: potiùs occiput deorsum, quantum possibile, premendum, ac alterâ manu maxilla inferior infantis attrahenda, ut itâ facie pronâ nascatur.

In geminorum partu mixto, id est, ex naturali & præternaturali composito, distinguendum 1^o. nùm prior capite & posterior pedibus præviis, 2^o. an prior pedibus & posterior capite partui sese sistant. Si prior geminorum primùm capite prodit, eâdem operandi methodo utendum est, quæ superiùs exposita fuit. Quandò autem secundum fœtum per ejus membranas pedes exhibere tactu observatur, tunc membranæ sine morâ dilacerandæ, ambo pedes simul & semel comprehendi debent & unâ reliquum totum infantis corpus cum placentis educendum est.

Quandò primus gemellorum non uno saltem pede, sed unâ cum funiculo umbilicali propendulus sese sistit, ejus extractio eò citiùs absolvenda, quò ievior etiam funiculi compressio fœtus mortem minatur. Hinc in extractione summoperè attendendum, ne manus infantis corpori funiculum apprimant; & tentandum est an non, mediante illo unico sese sistente pede, fœtus extractio ad coxas usquè perfici possit, uti hoc, si pedum alter proprio abdomini incumbit, quotidie & facile contingit. Sin verò in ipsomet extractionis hujus ductu, notabilis sentitur resistentia ab altero pede, proprio abdomini non incumbente, sed vel transversim sito, vel suprâ ossa pubis posito, tunc idem quærendus & primò apponendus est, quò postea ambobus simul atque semel prehenis, ulteriori totius infantis extractione jam descriptâ optatus finis adimpleri possit.

Quandò denique utrique gemini situm præternaturalem habent, tunc & quilibet vertendus, iisque secundùm cautelas quas modò exhibuimus succurrendum est, cavendo præsertim ne membri unius pro alteriùs membris attrahantur, quod, attentione, tactu delicatiori, & experienciâ præsertim facile vitatur.

Peractâ gemellorum extractione, utriùsque placentæ educationi studendum est. Cùm nulla signa prostant an illæ separatæ,

an conjunctæ sint, utraque simul eliminanda est. Nimirum funiculi bini umbilicales manu apprehendendi, cirri instar invicem contorquendi, ac in utrumque latus movendi sunt, ut quælibet placenta ab utero separata, eò melius ductum funiculi extrorsum sequatur.

Quænam diætâ à puerperâ observanda sit, hîc adjicere & docere superfluum foret. Cùm partum gemellorum copiosus admodum lochiorum fluxus semper excipiat, puerpera caveat ne contrâ res sex non-naturales, quas quidem specialiter pertractare instituti ratio non permittit, peccet: imprimis si ipsa gemellis natis mammas non præbet, eas probè observe, ne febre lacteâ correpta, ob præmaturum esculentorum largioremque usum, febris ut plurimum continuæ, purpurâ, albâ vel rubrâ comitatæ, ineat discrimen.

